



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 14. Literæ ad Landgravium habito Ordinum Conventu a Mauritio datæ,
istiusque responsum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

Sæc. XVI.
A.C. 1546.

duxit, ut in hac expeditione Mauritio suppetias ferret: quinimo Augustum quoque Saxonix Ducem Mauriti frater sollicitabat, eumque ad sua studia pertrahere nitebatur, spe facta, illum in Electoratu successurum, si Mauritius ejus frater sine prole mascula decederet. Imperator cum Mauritium suæ voluntati plene cessurum, haud temere suspicaretur, eidem denuntiari jussit, quod eo renuente is, qui omnium primus Electoratum occuparet, eundem retinere permetteretur, illiusque possessor permaneret, ipse vero, si obtemperare recuserit, pœnis in declaratione adversus ceteros rebelles latis obnoxius foret.

§. XIV.

Literæ ad Landgravium habito Ordinum conventu a Mauritio datæ, istiusque responsum.

*Thua l. 2.
Steid. l. 18.
p. 635. edit.
I 556.*

Mauritius itaque a Cæsare stimulus primo Chemnitii, ac postea die nona Octobris Fridbergæ ditionum suarum Ordines convocavit, cum illis hac super re deliberaturus: Toto igitur negotio mature discusso decretum est, quod datis ad Saxonix Electorem literis eundem de Cæsaris voluntate certiolem redderet, simulque significaret, quidnam

nam hac in re melius fore censeret. Sæcul. XVI.
A.C. 1546.
 Horum consiliis aquiescens Mauritius ad Electorem avunculum suum cuncta a Cæsare sibi injuncta perscripsit, hæc subjungens: *Cum mihi, meoque populo Cæsar de Religione caverit, ideo constitui, quo Cæsari satisfaciam, & meum quoque jus mihi integrum permaneat, hanc inire rationem, ne mea ditio atque Provincia in alienas manus deveniat. Hæc tamen palam profiteor, quod, si tempus olim erit, quo Cæsari Regique Ferdinando Elector fuerit reconciliatus, non recusem, quo minus mee ditionis Ordines, si tamen illi patiantur, inter me & Electorem de summa rei tractent, totumque nostrum dissidium illorum arbitramento relinquatur.* In eandem ferme sententiam Joanni Guilielmo Electoris filio perscripsit, eumque rogavit, ut hæc literas ad Patrem suum scriptas perferri curaret. Insuper a suis Ordinibus impetravit, ut & ipsi speciatim missis ad Electorem & Landgravium literis peculiariter hunc urgerent, ut socio suo consilium adeo salutare sequendi necessitatem exponeret. Verum Landgravius, cui cuncta hæc consilia permolestè acciderant, Ordinibus mentem suam his verbis aperuit, speciatim vero Mauritio perscripsit, eique ingrati animi probrum objiciens hæc addidit: „Negotium, de quo agitur, Religionem spectat,

Sæcul. XVI., spectat, idque nec ignorare nec diffi-
A.C. 1546. „ mulare vales; omnibus enim perspe-
 „ ctum est, quod Cæsar in hoc bello eo
 „ unice intentus sit, ut Germaniam ip-
 „ sius etiam Imperii viribus subigat, ha-
 „ rumque dissensionum ope illam Pontifi-
 „ cis jugo, quod tam generose excussit,
 „ iterum subicere molitur. Hinc flocc-
 „ ci pendeas Cæsaris declarationem,
 „ & Pontificis anathemata; hæc enim
 „ sunt fulmina in ipsam Religionem,
 „ quam nos Protestantes tuemur, di-
 „ recte vibrata. „

§. XV.

Mauritii irruptio in Saxoniam.

Thou l. 2.
Belc. comm.
l. 24. n. 29.
Steid. l. 18.
p. 637.

Verum hisce Landgravii literis Mau-
 ritius adeo non ab arrepto propo-
 sito avertetur, ut etiam Cæsarei di-
 plomatis auctoritate suffultus totam Sa-
 xoniam armis sat prosperis emetiretur:
 insuper præter copias in suis ac Augusti
 Ducis fratris sui ditionibus conductas,
 Ferdinandus quoque Romanorum Rex
 urgente Carolo Cæsare eidem mille quin-
 gentos pedites ductore Aliprando Ma-
 drutio Cardinalis Tridentini fratre sub-
 misit, moxque Georgius Rensburgius
 Bellidux longa belli experientia clarissi-
 mus totidem pedites adduxit, unde hæ
 copię ceteris Mauritii agminibus junctæ
 septem